

**T**hesaurum hunc, candide lector, toties legendo ac relegendo, ut mei est muneris, quæcunq; in hac Frobenij typographia typis excuduntur, semel atq; iterum legere: tot rãtasq; Latinæ linguæ diuitias, sanè sum admiratus: & eo magis, quòd, cum omnia diligenter considerarem, ita plenum Copiæ cornu, omnibus in locis animaduertebam, ut nihil addi posse, nisi superuacaneum, uideretur. Igitur cum ad hunc The-  
 saurum, operam aliquam nauare cuperem, & uiderem ad tam plenam copiam, me hominẽ tam tenuem nihil posse adijcere, statui saltem in collocaçione aliquid prodelle lectori. Feci igitur quod fecerunt, qui urbium tribus instituerunt. Si enim cum uiderent diuersarum artiũ homines, promiscuè per diuersos uicos (ut quenq; fors collocauerat) habitare, & tamen in classes certas digeri, certas ob causas expedire iudicarent, tribus ordinauerunt, & earum uniuersas aedes assignauerunt, in quas suo quæq; tempore conueniret. Ita factum est, ut certa in classe, cuiusq; generis opifices, exempli gratia hic futores, illic factores, illic fabros, magna commoditate, magnoq; reipublicæ bono reperias. Horum ego prudentiam mihi in hoc The-  
 sauro imitandam iudicauit. Igitur ex singulis huius Theauri quasi urbis uicis, hoc est, ex singulis literis, in singulas classes ea redegi, quæ essent eiusdem quasi artis, hoc est eiusdem generis, ut ea possent in suas quæq; classes digesta, commodius & coniunctius inueniri. Classes autem sic ordinauimus. In prima sunt Forensia, nõ omnia iuris utriusq; phrasæ & uocabula, sed ea maximè, quæ legis allegatione, aut Iurisconsultorum sententia explicantur. Sequuntur Contraria ex scriptis Ciceronis omnia ferè excerpta. Postea Opposita, Antiqua & Inusitata, sub quibus rara, obsoleta & uetusta cõprehendimus, ab usitatis, sola distinctionis nota (quantum per huius Theauri lectionem nobis facere licuit) secreuimus. Omnibus enim inusitatis, usitata non adiunguntur, cum non ubiq; subiuncta inuenierim. Urbium, fluuiorum, montiũ, populorum & promontorium nomina, quæ sine regionis uocabulo inuenimus, ea data opera omisimus. Affinitatis & cæterarum rerum, quas hic subiectus catalogus complectitur, omnia cum supradictis uocabula, ordine alphabetico, numero paginae, columnis, prioria, posterioribus, quò nihil obscurum sit, suis quæq; locis sunt digesta. Sicubi uerò nos lapsos esseprehenderis (id quod facile in tam impedito opere accidere potest) dabis ueniam. Quod si te hoc labore adiutum senserimus, plura deo uolente, proprio libello in lucem aliquando emittemus. Beneuale. Anno MDCLXXVI. Basileæ.

VOCABVLORVM ET LOCVTIONVM CLASSES QVAEDAM,  
 secundum rerum cognationes, quas sequens catalogus complectitur, hæ sunt.

Rerum forensium locutiones & uocabula.	Gemme & lapides preciosi.	Fluuij singularum regionum.
Contraria.	Herbæ & earum partes.	Insule.
Opposita.	Legumina.	Montes.
Antiqua & inusitata.	Animalia, insecta, serpentes, uermes.	Populi.
Affinitatis & consanguinitatis uocabula.	Aues.	Promontoria.
Hominis partes, uestimenta & ornamenta.	Pisces.	Vrbes.
Aedium partes, supellex & orna.	Naues & earum partes.	Colores.
Arbores, earum fructus & partes.	Regiones.	Adagia.